DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

INAPPETENTIA EX ABVSV SPIRITVOSORVM

QVAM

SVMMO NVMINE ANNVENTE
AC ILLVSTRIS MEDICORVM ORDINIS CONSENSV
IN ALMA IVLIA CAROLINA

PRAESIDE

VIRO ILLVSTRI ET EXPERIENTISSIMO

IO. GOTTLOB KRÜGER

MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE DOCTORE ET PROFESSORE
PVBLICO ORDINARIO ACADEMIAE IMPERIALIS NATVRAE
CVRIOSORVM ET REGIAE BORVSSICAE SCIENTIARVM SODALI
FACVLTATIS MEDICAE H. T. PRODECANO

PRAECEPTORE AC FAVTORE SVO
AETATEM COLENDO

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN ARTE SALVTARI HONORIBVS
PRIVILEGIIS ATQVE IMMVNITATIBVS
RITE OBTINENDIS

PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI SVBMISSAM
PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

IOANNES CONRADVS BERG

HAMBVRGENSIS

DIE VI IVL. A. O. R. MDCCLVIII.

HELMSTADII

LITERIS V. B. PAVL. DIET. SCHNORR
ACAD. TYPOGR.

SPLENDIDISSIMO ATQVE AMPLISSIMO

INCLYTAE

REIPVBLICAE HAMBVRGENSIS

SENATVI

VIRIS ILLVSTRIBVS MAGNIFICIS

EXCELLENTISSIMIS CONSVLTISSIMIS

PRVDENTISSIMIS

DOMINIS DOMINIS

CONSVLIBVS

SYNDICIS

SENATORIBVS

ARCHIVARIO

PROTONOTARIO

SECRETARIIS

ARCHIVARIO ADIVNCTO

PATRIAE PATRIBVS

SAPIENTISSIMIS

IVSTITIAE TVTORIBVS

GRAVISSIMIS

LIBERTATIS DEFENSORIBVS

STRENVISSIMIS

MVSARVM PROTECTORIBVS

ET PATRONIS

OMNIVM MAXIMIS

DOMINIS SVIS

EXQVISITISSIMO OBSERVANTIAE

CVLTV VENERANDIS

HASCE LABORVM SVORVM ACADEMICORVM

PRIMITIAS

REVERENTIAE TESTIMONIVM

EA QVA PAR EST SVBMISSIONE

OFFERT CONSECRAT DEDICAT

TANTORVM VIRORVM

PATROCINIO

SE COMMENDANS

IOANNES CONRADVS BERG.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

INAPPETENTIA EX ABVSV SPIRITVOSORVM.

§. I.

Appetitus et huius finis.

Corporis humani conſervatio absque motu nulla eſt, et idem ille motus perpetuam particularum amiſſionem inducens deſtructionis cauſa evadere certiſſime inſecuturae, niſi particularum reſtitutio i. e. corporis nutritio fieri poſſet. Haec actio adeo neceſſaria ut rite vigeat et naturae ſcopo conformiter obſervetur, inſtinctum a naturalibus cauſis pendentem hominibus inſtillavit

 Autor

Autor naturae, cuius ope certo tempore ad alimenta quaerenda incitantur, ex quibus ſuccum nutritium humores acres mitigantem et partes deperditas reſtituentem haurire poſſunt. Inſtinctus hic ſive deſiderium ad alimenta aſſumenda in medicorum ſcholis *appetitus* nomine inſigniri ſolet.

§. II.

Inappetentia quid ſit?

Appetitus eſt effectus a naturalibus et contingentibus cauſis pendens: (§. I.) hinc pro cauſarum conditione mox imminui mox plane deficere poterit. Status autem appetitus imminuti et deficientis *inappetentia* audit, cuius uberiorem indagationem, et quidem quatenus eam abuſus ſpirituoſorum inducere valeat, in hac diſſertatione abſolvere animus mihi eſt.

§. III.

Digeſtio quid ſit?

Alimentorum capiendorum deſiderium non quolibet tempore contingit, (§. I.) ſed tunc ſolummodo viget, cum ventriculus cibis repletus non eſt. Novis autem cibis aſſumtis, qui naturae ſcopus eſt, ceſſat et penitus ceſſaret appetitus, niſi ex ventriculo iterum eliminarentur ingeſta. Per ſtructuram autem ventriculi in ſtatu naturali non poſſunt, et ratione finis non debent eliminari aſſumta absque horum praegreſſa elaboratione atque diſſolutione in ventriculi cavo; et inde actio naſcitur,

quam *digeſtionem* medici appellant. Ex iam dictis itaque elucet, appetitum vigente digeſtione rite ſolummodo ſuccedere poſſe, et ex ſequentibus patebit, nonnullas cauſas appetitus itidem digeſtionis cauſas exiſtere; hinc haud abs re eſſe iudico, primum inquirere, a quibus potiſſimum cauſis producatur *digeſtio?*

§. IV.

Huius una et praecipua cauſa.

Ingeſtorum elaboratione atque diſſolutione digeſtionem abſolvi diximus (§ antec:); in ipſa itaque ingeſta cauſae agant neceſſe eſt. Quaenam autem potiſſimum hoc negotium in homine peragant, inquirendum nunc erit. Variae quidem dantur digeſtionis cauſae, ſed praeter calorem vix notabilior quaedam exiſtit, quam virtus illa emolliens atque reſolvens liquoris cuiusdam in ipſam ventriculi cavitatem ex ultimis arteriolis ſ. cryptis exſtillantis *et gaſtricus ſuccus* appellati. Huius ſolius ſucci viribus ciborum reſolutionem fere perfici poſſe, experimenta hanc ob cauſam in animalibus inſtituta probant. Elegit nempe Celeberrius REAVMVRIVS animalia, quae eandem ventriculi fabricam cum humano habuere. Illis tubulos bracteatos, carne impletos et in utroque latere reticulari filamento clauſos deglutiendos obiecit. Salvis interim tubulis, carnis ſoliditas fluiditatem induit, quam nulla alia cauſa niſi liquor quidam reſolvens producere potuit. Sed praeter ſuccum gaſtricum et ſalivam nullum liquidum reſolvens ſponte ad

ven-

ventriculūm defertur, et ſaliva, ut mox indicabimus, tam quantitate quam qualitate inferior eſt hoc ſucco: hinc quilibet facile concedet, a ſolo ſucco gaſtrico digeſtionis negotium maximam partem dependere, et primariam eius cauſam ab illo conſtitui.

§. V.

eius 2da cauſa.

Humor ſalivalis ex oris et aeſophagi glandulis affluens itidem digeſtionis cauſa vocari meretur, licet negandum non ſit, ex ampliſſimae ſuperficiei tunicae villoſae, arteriarum numeri atque diametri collatione cum glandulis ſalivam plorantibus liquido deduci, inſignem eſſe rationem liquoris gaſtrici ad ſaliuam (a). Praeterea etiam reſpectu qualitatis liquori gaſtrico ſalivam cedere, cognitum eſt. Succo enim iſto ſpiſſior nec tot particulis ſalinis praedita eſt ſaliva, et ideo minori reſolvendi virtute gaudet. Interim cum ſaponaceae indolis ſit, quae ex albicante cibi maſticati colore apparet, et fermentationem cibis inducat; manducationis inſuper negotio, quod digeſtioni valde affine eſt, et ad eam facilitandam haud parum facit, proprie inſerviat: merito ſalivam digeſtionis cauſam exiſtere affirmamus.

(a) vid. *Prael.* BOERH. §. 78.

§. VI.

eiusdem 3tia cauſa.

Attritus a fibris carneis ventriculi productus in homine reſpectu digeſtionis parvi momenti eſt et in ſem-

ſemipleno ventriculo ſolummodo fieri obſervatur. In maiori autem ventriculi diſtenſione harum fibrarum actio in ingeſta penitus ceſſat. (a) Statuerunt quidem mechanicorum nonnulli, (b) easdem vires attritus in homine eſſe, quae in avibus granivoris obſervantur. Sed cum ventriculorum fabrica diverſiſſima eſt, eosdem effectus exſpectare non licet. Avium granivorarum ventriculus carnoſus eſt ex quatuor validiſſimis muſculis conſtans, ſcutis praeterea cartilagineis et calloſis armatus, quibus canales vitrei et globuli concavi deglutiti diffringi, per conſequens ingeſta facili negotio digeri poſſunt. Hominis autem ventriculus tenuibus muſculoſis fibris atque tunica villoſa tenerrima conflatus parum efficacis attritus exercere valet. Effectus idem affirmat. Piſa enim, paſſulae et reliqua levi tritura diſſolvenda absque praegreſſa maſticatione non ſubiguntur, ſed parum mutata et indigeſta per alvum egeruntur, manifeſto indicio ventriculi vim periſtalticam in homine tantam non eſſe, ut veram ciborum triturationem perficere queat. Corruit inde mechanicorum inprimis PITCARNII opinio, qui ex falſa hypotheſi: muſculorum vires in ratione ponderum eſſe, attritus vires in ventriculo humano inſignes ipſius ventriculi pondere demonſtrare ſtuduit. (c) Si itaque praeter liquores reſolventes alia adhuc cauſa notabilis digeſtionis datur, certe muſculorum abdominalium, diaphragmatis et reliquarum ventriculo adiacentium partium preſſioni adſcribenda eſt, (d)

 et

et ſic *cauſa digeſtionis tertia in praedictarum partium actione in ventriculum conſiſtit.* Relictis reliquis minoris momenti, nunc appetitus cauſas detegere conabimur.

(a) vid. *Prael.* BOERH. *§. 83.*

(b) vid. HALL. *ad prael.* BOERH. *§. 84. n. 6.*

(c) vid. HALL. *ad prael.* BOERH. *Vol. I. §. 84. n. 7.*

(d) vid. HALL. *ibid.*

§. VII.

Cauſa appetitus generatim.

Deſiderium ad alimenta capienda generatim a determinato ſtimulo tunicae nerveae ventriculi dato oritur. Hic ſtimulus vacuo ventriculo a quibusdam digeſtionis et aliis inducitur cauſis, quas ſeorſim pertractabimus.

§. VIII.

Cauſae appetitus ſpeciales 1) liquor gaſtricus et ſaliva.

Liquor gaſtricus et ſaliva in corpore ſano perpetuo naſcuntur et affluunt pro digeſtione abſolvenda. Deficientibus vero ingeſtis conſumi non poſſunt iſti liquores, ſed in ventriculo colliguntur, mora acuuntur et vim vellicantem in ipſas ventriculi tunicas exſerunt, unde primario appetitus oritur. Moleſtior adhuc erit ſenſus, ſi bilis et ſuccus pancreaticus ex duodeno regurgitant, quod vero ſolummodo ex longiori inedia fieri obſervatur. (a)

(a) vid. HALL. *ad prael.* BOERH. *§. 88. n. 27. 28.*

§. IX.

2) remanentia ciborum

Tunica ventriculi villoſa reliquis amplior exiſtit. Inſuper elatere deſtituta eſt et in rugas collabitur, ſimulac alimentis non ſatis diſtenditur ventriculus. Variat harum rugarum numerus pro maiori vel minori depletione ventriculi. Plenariam huius evacuationem non permittunt rugae, ſed ingeſtorum partem in interſtitiis ſuis ſemper retinent, quae ibi ſtagnat et ex propria indole in naturam acrem degenerat, atque ad appetendum invitat.

§. X.

3) Affrictus rugarum.

Licet ad ingeſta digerenda parum faciat ventriculi motus periſtalticus: (§. 6.) rugas tamen tunicae villoſae in vacuo ventriculo obvias agitare et inter ſe atterere valet alternans illa fibrarum carnearum contractio. Intra limitem autem ſeſe colligere non poſſunt fibrae, quod ex liquido in cavo ventriculi remanente (a) apparet: hinc attritus rugarum non fiet ad latera oppoſita, ſed cuiusvis lateris rugae inter ſe confricabuntur et ſolutis ciborum remanentiis papillas nerveas (b) tali modo afficient, ut inde novis cibis ventriculum implendi deſiderium excitetur.

(a) vid. *prael.* BOERH. *§. 83.*
(b) v. BOERH. *prael. §. 77.*

§. XI.

Cauſa inappetentiae generatim.

Quidquid appetitus cauſas tollit vel depravat, hoc generatim inappetentiae cauſa appellari poteſt.

Cum autem liquor gaſtricus primaria appetitus cauſſa exiſtat, (§ 8) a qua reliquae ita dependent, ut rite conſtituto hoc liquore, reliquae cauſae nempe ciborum remanentiae et rugarum affrictus ſuo tempore certe adſint et ſuum officium expleant, hoc vero depravato, hae ſolae appetitum excitare non valeant; praeterea cum vacuo tantum ventriculo appetitus oriatur, (§ 3) et ideo digeſtionem rite ſuccedentem tanquam conditionem ſine qua non requirat; digeſtionis autem praecipua cauſſa itidem liquor gaſtricus ſit (§.4): *hinc merito id quod hunc liquorem depravat et debilitat, vel eius actionem in ventriculum minuit ac tollit inappetentiae cauſam vocamus.*

§. XII.

Speciatim 1) nimius potus.

Liquor gaſtricus ex emiſſariis tenuiſſimis tunicae ventriculi villoſae profluens ſpiritibus atque particulis ſalinis gaudet, (a) quibus in ventriculum agere et apetitum excitare valet. Hanc virtutem et indolem retinebit usque dum ab aliis corporibus mutationem patiatur. Si ergo particulae aliae e. g. aquoſae maiori copia huic liquori admiſcentur: hunc partim ex ventriculo, in quo haud diu morantur, ſecum auferent, partim illi reſiſtentiam dabunt, ut minori vi in ventriculum agat. Liquoris itaque gaſtrici virtus debilitabitur et *inappetentia producetur a potu nimio quocunque.*

(a) V. BOEH. inſtit. §. 77.

§. XIII.

2) *Mucus ventriculum obducens.*

Quodſi ſtimulus ventriculo dari et appetitus excitari debeat; liquor gaſtricus in ventriculum agat neceſſe eſt. (§. 8.) Sublata ergo huius actione, tollitur appetitus. Quicquid autem liquorem gaſtricum impedit, quo minus vim ſuam in ventriculum exſerere valeat, inappetentiae cauſa erit (§.11). Iure igitur ſuo *mucus* quacunque ex cauſa ortus *ventriculum obducens* et liquori gaſtrico impedimentum praebens *cauſa inappetentiae* appellatur.

§. XIV.

3) *Senſibilitatis defectus.*

Magno nervorum plexu dotatus eſt ventriculus, ut ex anatomicis patet. Inſignis inde erit huius ſenſibilitas hunc potiſſimum finem reſpiciens, ut eo melius vigeat appetitus. Absque nervis enim et ſenſibilitate ex his pendente cogitari nequit ſtimulus a liquore gaſtrico ad appetitum conſtituendum ventriculo datus. Ratio ergo appetitus erit praeter liquoris gaſtrici in ventriculum actionem ſenſibilitas, et ceſſante hac ceſſabit appetitus. Hinc *ſenſibilitatis defectus* erit *cauſa inappetentiae.*

§. XV.

A muco admodum notabilis inducitur inappetentia.

A potu nimio quocunque depravatur atque e ventriculo eliminatur liquor gaſtricus. (§. 12.) Affluxum autem huius liquoris non plane tollit excedens

particularum peregrinarum quantitas. Imminutis enim et per ventriculi orificium dextrum expulsis his particulis, denuo ex tubulis huic secretioni destinatis exstillabit nova quantitas liquoris gastrici non diluti, adeoque efficacia praediti in nervos ventriculi agendi, hacque ipsa actione excitandi illam sensationem molestam, quae cibos assumendi desiderium, verbo appetitum producit. Longe aliter vero comparatum est, si muco viscido obducta est ventriculi tunica villosa. Sola enim vi fibrarum transversarum ventriculi vix eliminari potest mucus ventriculum cingens, sed materia haec tenax sensim antea attenuata ope septi ad duodenum defertur (a). Ad hanc igitur expulsionem eo longius necessario requiritur tempus, *quo maior est muci et quantitas et visciditas.*

(a) v. *Prael.* BOERH. §. 87.

§. XVI.

Noxa et utilitas muci.

Quanta sit muci ad supprimendum appetitum et ipsam nauseam excitandam vis atque efficacia, in vulgus notum est. Videmus hoc inprimis in aegrotis febre tertiana laborantibus, qui tantum non semper de nausea et molesto vomendi conatu conqueruntur. Solet vero eo facilius excitari nausea, quo plures acidi humores cum muco in ventriculo hospitante commiscentur. Hoc cum videret medicorum vulgus simulque animadverteret, nimiam tenacis et viscidi muci quantitatem pulmones replentem asthma, et ipsum, deficientibus ad expectorationem viribus, pro-

producere catarrhum ſuffocativum, vitae mortalium infenſiſſimum hoſtem: factum eſt, ut perverſo ratiocinio exinde concluderet, omnem mucum humorem eſſe excrementitium naturae inimicum, eiusque expulſionem a medico ſummo ſtudio quaerendam atque promovendam eſſe. Sed profecto praeclare falluntur, qui ſic iudicant et, exhibitis vomitoriis, purgantibus et expectorantibus medicamentis, de expulſo hac operatione muco ſemper laetantur, ſibique et aegroto medicamenti effectum ſalutarem gratulantur. Summam enim muci ad defendendas ab humorum acrimonia partes ſolidas motumque facilitandum neceſſitatem ignorant ita ſtatuentes. Nam non ſolum in oſſium articulationibus exſtillat mucus, qui motum olei inſtar facilitat, ſed membranae quoque oris, faucium, pulmonum, oeſophagi, ventriculi, inteſtinorum, veſicae urinariae et ipſa denique vaſorum ſanguiferorum interior membrana tenui muco obducuntur. Quod vero in ſpecie ad ventriculum attinet, peſſima foret eius conſtitutio, ſi muco omni plane deſtitueretur. Liquor namque gaſtricus nudum ventriculum ſtimulando famem incompeſcibilem, et ingeſta quaecunque ſalina dolores ſummos procrearent. Patet exinde, quod ſola *muci* in ventriculo *abundantia et nimia tenacitas* reprehendenda et inter *cauſas appetitus depravati* referenda ſit.

§. XVII.

Nervorum ſtupor cauſa anorexiae.

Cauſis anorexiae merito annummeratur *nervorum* ad ventriculum abeuntium *ſtupor* et inſenſibilitas.

tas. Ad hanc inducendam praeter illorum resolutionem et paralysin nihil aptius existit venenis et medicamentis narcoticis atque somnum conciliantibus, a quibus ideo anorexia laborantibus plane abstinendum est. Nostrum iam non est, in narcoticorum modum agendi inquirere, qui ex nescio qua virtute sanguinem expandendi insufficienter plerumque et minus solide explicatur. Hoc enim si verum esset, necessario sequeretur, ut homo, qui valido motu corpus exercuit, et cuius calefacta vasa turgent, omni appetitu carere debeat, ac si opium vel aliud narcoticum assumsisset. Videtur potius, si in re obscura aliquid videre licet, motus fluidi nervei ab eiusmodi assumtis in cerebro quidem augeri, sed imminui in nervis a cerebro ad partes decurrentibus.

§. XVIII.

Nausea.

Ad *causas* denique *laesi appetitus* iure quodam suo referri meretur *nausea*, quae vel ideo per cibi fastidium explicari solet. Patet exinde nauseae a simplici inappetentia sive appetitus defectu differentia. Omnis enim nausea appetitus absentiam iam supponit, non autem vice versa quilibet appetitus defectus cibi fastidium. Inappetentia nempe est nuda alicuius in ventriculo sensationis et geniti inde ciborum capiendorum desiderii privatio. Nausea autem est positivi quid, quod in ventriculo molestam sui generis sensationem neque verbis describendam supponit, quaeque motum peristalticum magis sursum quam deor-

deorſum dirigit, ut ideo, ſi ad ſummum gradum pervenit, ipſum vomitum concitet tunc ſalutarem, ſi ortum duxit nauſea a materia aliqua ventriculum irritante, quae hac eius actione expelli poteſt. Quemadmodum in hoc caſu nauſea ſui ipſius remedium exiſtit; ſic illud affirmari nequit, ſi materia ventriculum irritans ob ſummam ſubtilitatem et halituoſitatem ad excretionem inepta eſt, vel ſi nulla plane praeſente materia irritante a ſola vivida imaginatione ortum traxit vomitus. Contingit hoc non ſolum ſi nauſeoſi quid conſpicimus, vel nobis vivide repraeſentamus; ſed pendet quoque ab eadem nauſea et vomitus eorum, qui ex alta turri deſpiciunt, vel inſueti curru aut navi vehuntur, vel etiam terrae motum experiuntur, et inde primo vertigine, dein nauſea tentantur cum ſubſequente ſub nauſeae intenſione denique vomitu.

§. XIX.

Stupefacientibus homines delectantur.

Primum absque dubio et maxime naturale potulenti genus eſt ipſa ſimpliciſſima aqua. Hac vero non contenti novarum ſentationum cupidi mortales liquores fermentatos arte parare didicerunt, maiori, ni totus fallor, ipſorum detrimento quam emolumento. Interim curioſum eſt, quod omnes fere gentes tale quid in deliciis habeant, quod intellectus lumen obſcurando efficit, ut deſipientes ac delirantes ſibi ipſis placeant. EVROPAEI vino, cereviſia et vini ſpiritu, ASIAE *incolae* opio, ac AMERICANI

ſpiri-

ſpiritŭoſo aliquo potu, quem ex granis *Maitz* ſive frumenti turcici conficiunt, delectantur. (a) Referri huc quoque meretur herbae nicotianae uſus, eiusque fumum per fiſtulam attrahendi conſuetudo, quae docente id hiſtoria in omnibus mundi partibus plus minusve invaluit. Certum eſt, *haec omnia ſtupefatientium indolem poſſidere*, et actione ſua in cerebrum nervos debilitare, quod luce meridiana clarius harum rerum abuſus demonſtrat. Orientales namque populi a continuato opii uſu ſtupidi redduntur, memoriam perdunt, ut tandem nil fere, niſi plantae viventes eſſe videantur, animam continentes ſe ipſam quaſi ſepelientem, donec viribus exhauſtis lenta tabe conſumti pereant. Nonne idem fatum quotidie videmus in noſtris terris experiri illos, qui potibus ſpirituoſis ac tabaci fumo nimium delectantur. Quae cum ita ſint, non ſine ratione ſtatuimus, melius eſſe tabaci fumo et ſpirituoſi uſui plane non adſueſcere, ſed, quam ipſa natura ſuppeditat, innocentiſſimo potu *aqua* contentos eſſe. Quod enim de ventriculi per aquam debilitatione obiicere vulgo ſolent, nugae ſunt, quae per millia hominum ſolam aquam bibentium exempla refelluntur. Loquimur de hominibus, qui a prima infantia aquae potu ſuſtentati fuerunt; in illis enim, qui vini vel cereviſiae potui iam adſuefacti ſunt, fieri omnino poteſt, ut ab aqua ventriculum debilitatum viriumque languorem perſentiant. Omnis enim conſuetorum ſubita mutatio periculoſa eſſe ſolet, nec temere ſuſcipienda eſt.

(a) v. Samlung der Reisen, die in Göttingen herausgekommen ist erster Theil, worin die Reise nach der Hudsonsbay davon meldet.

§. XX.

Aquae prae ſpirituoſis praeſtantia.

Ex omni, quo uti ſolent homines potulenti genere *aqua pura ac levis moderate hauſta* appetitum optime conſervat. Comprobant id ſuo exemplo *hydrophili*, qui ordinarie longe melius appetunt vini aut cereviſiae potatoribus. Obſervamus idem quoque non raro, ſi quis valetudinis conſervandae cauſſa fonte aliquo medicato utitur, cum e contrario illos, qui multum quotidie cereviſiae, aut quod peius eſt, ſpiritus vini ingurgitant, de appetitus ciborum defectu conqueri audiamus, cuius rei rationem vulgus non inepto proverbio exprimit dicens: **wo ein Brauhaus stehe, könne kein Backhaus stehen.** Operae pretium exiſtimamus, in hanc rem paulo accurratius inquirere, et ex iactis in antecedentibus fundamentis, poſitisque principiis rationem deducere, cur potus ſpirituoſus, praecipue ſi ante meridiem talis hauriatur, adeo enervet ventriculum ac appetitum proſternat. Oſtendemus ſimul pericula ex contracta prava eiusmodi conſuetudine extimeſcenda. Videbimus itaque primo, quomodo potus ſpirituoſi nimia quantitate hauſti appetitum debilitent; deinde cur id praecipue faciant, ſi antemeridianis horis vel vacuo ventriculo aſſumuntur.

§. XXI.

Nimia ſpirituoſorum quantitas cruditates generat.

Si nimium cereviſiae vel vini ingurgitatur, et eiusmodi compotationes in ſeram noctem protrahuntur: non poteſt non ventriculus ab aſſumtis et aëre, qui ex his fluidis in calido loco egreditur, ita expandi, ut impares ſint eius vires et flatibus et ipſis contentis propellendis. Commorantur itaque ciborum potusque reliquiae in ventriculo, ibique pro indolis illorum diverſitate *in ſaburram acidam viſcidam vel vappidam ac putridam* convertuntur. Impeditur inde altero die non ſolum debita liquoris gaſtrici, primariae appetitus cauſae, (§. 8.) in ventriculum actio, ſed etiam non raro a relictis ciborum potulentorumque quisquiliis nauſea ſuboritur cibique faſtidium. Accedit altera ratio priori ſi non validior certe non inferior, nervorum nempe a potibus ſpirituoſis et orta inde crapula debilitatio, quae eo maior erit, ſi compotationibus coniuncta fuit tabaci ſuctio, cuius narcoticam et ſtupefacientem vim nemo facile in dubium vocabit. Quare huic cauſae merito adſcribimus, quod brevi ante prandium hauſtus tabaci fumus appetitum proſternat inſigniter, qui eius effectus efficit, ut ad famen compeſcendam in caſu neceſſitatis adhiberi ſoleat.

§. XXII.

Potus quo ſpirituoſior eo maiorem creat anorexiam.

Quo *ſpirituoſior* eſt *potus*, quem quis aſſumit, eo magis teſte experientia ſupprimit *cibos capiendi deſiderium.* Quoniam vero ſpirituoſum illud, quod in

in cerevisia, vino, omnibusque spirituosis liquoribus, primam fermentationem expertis, deprehenditur, comprobante id chemica destillatione, nihil aliud est, quam fluidum, quod chemicis spiritus frumenti vel spiritus vini audit: cardinem rei in eo versari iudicamus, ut de noxa spirituosorum ac modo, quo appetitum supprimunt, iudicium laturi in partes spiritus vini constitutivas inquiramus, et periculum faciamus, an ex illis, quomodo inappetentiam producant, distincte demonstrare possimus. Quam enim chemicorum aliqui statuunt spiritus frumenti a spiritu vini differentiam, illa non solum ab aliis, ex quibus NEVMANNVM nominasse sufficiat, reiicitur; sed etiam nos impedire nequit, quin utrumque spiritum pro uno eodemque habeamus, cum experientia quotidiana doceat, utriusque vires in supprimendo ciborum appetitu esse easdem.

§. XXIII.

Spiritus vini chemica analysis.

Deprehendimus in spiritu vini *phlegma*, *oleum* et *sal acidum*, quare spiritum vini recte finiverunt chemici per oleum essentiale summe attenuatum, fermentatione generatum et cum aqua ope tenerrimi salis acidi arctissime coniunctum (a). *Phlegmatis* praesentiam in spiritu frumenti praecipue illo, quo eius amatores delectantur, nemo facile in dubium vocabit. Ipso enim gustu in spiritu non abstracto phlegma detegitur. Manifestius se ostendit abstractione vel deflagratione instituta. Hac enim peracta, per-

multum phlegmatis remanet, ut taceam eius per ſal tartari rectificationem, quae nullo alio modo explicari poteſt, quam quod ſal tartari partes aquoſas imbibat. Quod vero rectificatiſſimus etiam vini ſpiritus permultum adhuc aquae contineat, experimentis omni exceptione maioribus demonſtrarunt viri in arte ſummi NEVMANNVS ac VOGELIVS, et poteſt quilibet hac de re facillimo negotio ſe convincere, ſi altiori cuidam vaſi e. g. mortario ſpiritum vini rectificatisſimum infundat, illumque accendat: magna enim aquae quantitas tunc remanebit, quae amplius ſe accendi non patitur. *Oleoſas* in ſpiritu vini partes demonſtrat eius inflammabilitas, quae oleorum propria ſolet eſſe et nativa indoles. Idem confirmat naphtha illa mineralis, quam recte oleum vini nominant, quaeque ex commixtis ac deſtillatis oleo vitrioli et ſpiritu vini oritur. Probat idem facilis oleorum in ſpiritu vini ſolutio, quae absque partium ſimilitudine, qua ſimilia ſimilibus facile iungi ſolent, explicari vix poteſt. Hoc oleum, quamvis vix ſexageſimam phlegmatis partem conſtituat: primarium tamen ſpiritus vini ingrediens nominari meretur et eſſentiale principium, in quo maxima eius agendi potentia ac mirabilis illa in fluidum nerveum agendi vis latet, quod ipſius naphthae uſu diſcimus, quae peculiarem illam motus compeſcendi virtutem ab hoc ipſo oleo mutuatur. Non vero ſine ratione auguramur, mirabilem hunc effectum a ſubtiliſſimis quibusdam particulis, in oleo hoc latentibus, pendere. In hac ſententia confirmamur illa operatione, qua opium fermentatione

adeo

adeo volatile reddi poteſt, ut ſolo vapore homini omnem ſenſum motumque auferre valeat. *Acidum* denique in ſpiritu vini praeſens eſſe, varia ſunt, quae nos convincunt. Pertinet huc odor ille acidus, quem ſpirant materiae, ex quibus frumenti ſpiritus fermentatione paratur. Confirmat idem fermentationis vinoſae facilis in fermentationem acetoſam tranſitus. Accedit, quod ſpiritum vini non rectificatum ſyrupus violarum colore purpureo tingat, et quod ſal tartari, a quo ſpiritus frumenti iterum iterumque abſtractus fuit, in ſal medium convertatur, quod fieri, quemadmodum ex chemicis notum eſt, absque acceſſione acidi alicuius ſalis non poteſt. Hoc acidum in ſpiritu frumenti contentum emendat aliquo modo nauſeoſam illam ac emeticam phlegmatis indolem; quod exinde probabile redditur, quod paucae ſpiritus nitri quantitatis ad ſpiritum frumenti affuſione illum in ſpiritum vini gallici aemulum convertere poſſimus, comburente acido empyreumaticum illud in phlegmate ſpiritus frumenti contentum.

(a) vid. VOGELII *inſtit. chem.* §. *383.*

§. XXIV.

Phlegma ſpiritus vini appetitum debilitat.

Videri quidem primo intuitu poterat, ſpiritum frumenti eo minus ſuppreſſurum cibi deſiderium, quo maiori *phlegmatis* quantitate repletus eſſet. Verum experientia non ſolum docet contrarium, ſed ſuppetit etiam ratio, ex qua hic eius effectus explicari pote-

poterit. Differt namque phlegma ſpiritus frumenti a ſimplici aqua in eo, ut et odori et linguae nauſeoſum ſit. Eſtque hoc tanto gradu, ut cochlear huius phlegmatis homini exhibitum ipſum vomitum conçitare valeat. Si igitur, quemadmodum in anteccedentibus demonſtravimus, omne, quod nauſeam creat, appetitum deſtruit: conſequens eſt, ut et ſpiritus frumenti, quamvis non abſtractus, id facere debeat. Melius itaque ſibi conſulunt ſpiritus vini amatores, ſi loco ſimplicis ſpiritus frumenti rectificato vel rectificatiſſimo utuntur, illumque cum aqua diluunt atque contemperant et adiecto ſaccharo vel ſyrupo quodam gratiorem reddunt.

§. XXV.

Oleum ſpiritus vini eundem edit effectum.

Secunda pars conſtitutiva ſpiritus vini eſt *oleum*, aptiſſimum quoque ad ciborum digeſtionem impediendam et ſupprimendum appetitum. Latet namque *in hoc vini oleo*, quemadmodum iam monuimus, volatile illud et ſumma activitate praeditum *ſtupefaciens principium*, quod peculiari modo fluidi nervei motum immutando, mirabiles ebrietatis effectus producit. Inſenſibilitas nervis ventriculi procreata debilitat virtutem eius tonicam, et illum ad expellenda per pylorum contenta ineptum redit. Remanent itaque in ventriculo permultae cruditates ad ſtimulum liquoris gaſtrici fere inſenſilis. Eadem ſubeſt ratio, cur opium et ſoporifera in univerſum omnia hunc inebriantium effectum edant et appetitum proſternant.

§. XXVI.

Idem de acido affirmatur.

Quod ad tertiam ſpiritus vini conſtitutivam partem *acidum* nempe attinet: primo intuitu putare quis poſſet, illud ventriculum roborando potius appetitum excitaturum quam ſuppreſſurum eſſe, cum acidis ad ciborum deſiderium reſtituendum utamur. Verum enim vero, ſi perpendimus primo, hoc acidum cum phlegmate nauſeoſo multoque copioſiori arctiſſime eſſe coniunctum; ſecundo, quod moderata ac parva quidem acidi gratioris quantitas appetitum ſtimulare ſoleat, abundantia eius autem contrarium plane efficiat, cum ventriculi ardorem, ſalivae in os affluxum, nauſeam et vomitum ipſum in hypochondriacis hominibus producat; ſi tertio cogitamus, fluida animalia in ventriculo contenta inprimis mucum ibi praeſentem ab acido inſpiſſari ac coagulari: fieri non poteſt, quin concedamus quod ſpiritus vini acidum muco ventriculum repleat. Ex his omnibus itaque recte concludimus, *hanc quoque ſpiritus vini partem conſtitutivam appetitum ſupprimere debere.* Rite hoc confirmat experientia, quae docet, pleroſque corporis animalis ſuccos ab affuſo ipſis ſpiritu vini condenſari ac in coagulum abire. Confirmant idem hominum, ſpiritu vini abutentium, continuae querelae de moleſta ipſis muci tenacis in ventriculo et pulmonibus abundantia.

§. XXVII.

Idem valet de vino et cereviſia.

Patet ex his, quae de ſpiritu vini pluribus diſ-

ſeruimus, quantum is valeat ad exſtinguendum cibi deſiderium. Valet idem de *vino* et *cereviſia*, eoque magis, quo ſpirituoſiores ſunt tales potus, (§. 22) et quo maiori hauriuntur quantitate. Praecipue vero noxium hunc effectum exſerunt, ſi antemeridianis horis et vacuo ventriculo aſſumuntur, in cuius rei rationem paucis nobis inquirendum erit.

§. XXVIII.

Cur ſpirituoſa matutino tempore magis noceant?

Vacuo exiſtente ventriculo ſpirituoſa fortius tam in ipſum ventriculum, quam in inquilinos eius humores agant neceſſe eſt. Hinc non ſolum ab acido coagulante maior tenacis muci producitur quantitas, ſed etiam volatiles horum potulentorum partes nervis ventriculi ſe inſinuando facilius ebrietatem producunt, quae quantum appetitum deiiciat, in antecedentibus docuimus. Quantum vero aliarum rerum actionem in ventriculum impedire et infringere valeant cibi, vel ex hoc experimento eluceſcit, quod quis, ventriculo oleribus prius repleto, ipſum arſenicum absque detrimento aſſumere poſſit; hoc veneno nil niſi vomitum concitante, quo iterum reiicitur.

§. XXIX.

Obiectio removetur.

Contradicere forte nonnullis videbimur experientiae quotidianae monſtranti nobis innumeros homines, qui horis antemeridianis ſpiritu frumenti et cereviſia quotidie utuntur, et nihilominus optime appetunt, ingerunt et egerunt. Sed non de recto ac moderato ſpirituoſorum uſu, verum *de abuſu illorum*

affir-

affirmavimus, quod appetitum deſtruat. Accedit in plerisque, qui matutino tempore ſpirituoſa hauriunt, vitae genus laborioſum et validum corporis exercitium, quo efficitur, ut eiusmodi liquores non ſolum brevi tempore in inteſtinum duodenum propellantur, ſed et propulſi atque cum ſanguine mixti cum urina facile expellantur et per poros cutaneos exhalent.

§. XXX.

Morbi ex ſpirituoſorum abuſu, et inappetentiae medela.

Si praeter appetitus defectum nullum aliud malum a ſpirituoſorum abuſu originem traheret: vix aliud quid foret hic abuſus, quam voluptatis edendi commutatio cum voluptate bibendi. Sed maioris momenti ſunt extimeſcenda a tali abuſu pericula. Sufficiat nobis, illa breviſſimis indicaſſe. Praeter ebrietatem, qua actiones animales inſigniter perturbantur, ſpirituoſorum abuſus inducit humorum ſpiſſitudinem indeque natam fibrarum rigiditatem atque ex ea pendentem praematuram ſenectutem, viſcerum infarctus, obſtructiones, cachexiam, hydropem, lentas ac hecticas febres. Sic facilis deſcenſus averni, ſed revocare gradum, ſuperasque evadere ad auras, hoc opus hic labor eſt. Ad hoc praeſtandum neceſſario requiritur, ut homines inappetentia ex abuſu ſpirituoſorum laborantes ab illis plane abſtineant, non quidem depoſita ſimul ac ſemel contracta conſuetudine, ſed ſenſim ſenſimque ſuavium venenorum doſin imminuendo. Praecipue vacuo exiſtente ventriculo ab eiusmodi potulentorum uſu ſibi caveant, et aſſu-

mant hauſtum *aquae frigidae*, antequam ſomnum capiant, ut acrimonia a ſpirituoſis genita in ventriculo diluatur. Hoc domeſtico remedio et ſomnum quietiorem ſibi conciliabunt et evitabunt moleſtiſſimos iſtos vomitus matutinos, quo vexari ſolent, qui brevi ante ſomnum acida vina vel vini ſpiritum biberunt. Mucus in ventriculo contentus per *pulveres incidentes ex ſalibus mediis* paratos attenuetur, et attenuatus per *laxantia* praecipue *ſalina* eliminetur. Commendandus quoque his hominibus erit *uſus fontium mineralium*, praeſertim *martiali principio praeditorum*, quales ſunt *Pyrmontani* et *Helmſtadienſes*. Conducunt denique extracta amara, *Abſinthii*, *Card. Bened. Centaur. minoris*, *Gent. rubrae* in lixivio alcalino ſoluta, non quidem ad aliquot guttulas, ſed ad cochlear unum vel alterum quotidie exhibenda. Muco in ventriculo moleſtias creante, praeter iam dicta in uſum vocetur infuſum *Theae* vel corticum *Citri* recentium. Eſt enim aqua calida menſtruum muco ſolvendo ac diluendo aptiſſimum. His ſi iungitur *frequens corporis motus*: emendatur contracta per ſpirituoſorum abuſum inappetentia vix ac ne vix quidem ſuperanda, ſi iam cachexia acceſſerit. Fruſtraneam vero eſſe omnem medicationem, iterum iterumque monemus; niſi accedat contractae pravae conſuetudinis emendatio. Sed hanc commendantes medici, ſurdis plerumque narrari fabulam, experiuntur. Quare tales fato ſuo relinquentes huic diſſertationi imponimus finem.

Errata. pag. 7. lin. 22. lege: celeberrimus. p. 8. l. 8. oeſophagi. p. 12. l. 28. Boerh.

* * *

PRAESTANTISSIMO

AC PRAECLARE DOCTO

CANDIDATO

S. P. D.

PRAESES.

Sic tandem bona cauſſa triumphat, et bene praeparatus ac imbutus philoſophorum medicorumque praeceptis academiae valedicis, armisque inſtructus iter paras ad fugandum hoſtem humano generi infenſiſſimum. Qualem vero? Mortem. Mortem? Quanta audacia! An neſcis mortem invincibilem eſſe et ipſo facto et iure antiquo? Sed ſalva res eſt. Victoriam in fuga quaerens, TE TVAEque curae commiſſos manibus eius eripies feliciter, relictis ipſi ſolis illis qui, TE ſequi vel nolunt, vel ob ſummam debilitatem non poſſunt. Hoc eſt PRAESTANTISSIME CANDIDATE quod non tam opto, quam praevideo. Singulari enim diligentia non beati ſolum HEISTERI, et ILLVSTRIS FABRICII collegae mihi coniunctiſſimi acroaſes frequentaſti, ſed mea etiam privatiſſima in praxi inſtitutione vſus es. Gratulor itaque TIBI honeſtatis TVAE amplificationem, quam hodie conſequeris, ex animo, optoque ut omnia TIBI cedant feliciter. Vale meque amare perge.

Dedi in Iulia Carolina
d. X Iulii 1758.

PRAESTANTISSIMO RESPONDENTI

S. P. D.

I. G. A. KIPPING,

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE D.

Opp.

Rara TIBI ſors obtigit vt, in academiis diutius, quam fieri ſolet, commoratus et temporis et operae faceres compendium. Vtrumque enim horum feciſſe iure videntur qui, dum reditum ex academiis in patriam moliuntur, id iam conſequuti ſunt vt eum rerum habeant vſum, quem complures alii reipublicae iam negotiis admoti vix propriis ciuiumque malis edocentur. Sed nimirum vitae, quam inieras, ratio moresque TVI hanc TIBI conciliauerunt fortunam. Antequam immenſo medici ſtudii labori TE immergeres, iis diſciplinis imbuendum TE curaueras probe, ſine quibus medica res dignitatem ſuam tueri omnino nequit, philoſophicis et phyſicis. Porro et in Theologicis litteris non vulgarem poſuiſti operam, quae quum nullum non ornent ſcientiarum genus, tum ſcientiae medicae decus adferunt plane ſingulare. Morum vero TVORVM integritatem et ſuauitatem teſtatur ipſe, quo omnes boni TE proſequuntur, amor eximius. Talis cum inter nos fueris, neceſſum eſt TE nunc diſceſſum a nobis parante et meum et omnium amicorum animum varie commoveri. Laetamur omnes de praemiis ſtudiorum, quae TIBI iam proxime perſoluentur; illosque academicos honores eo magis TIBI gratulamur, quo certiore ſpe maiorem futuri temporis felicitatem praecipimus, ad quam hac dignitate gradum TIBI facturus es. Sed rationem inire haud licet, qua aequo animo carere poſſimus ingenua illa oblectatione, quam e ſuauiſſimo TVO conſortio habere conſueueramus. Verum et haec rerum humanarum viciſſitudo vtcumque ferenda eſt: praeſtatque ex ipſo amicitiae ſenſu nonnihil doloris percipere, quam huius metu iucundiſſimam illam vitae adiutricem, amicitiam barbaro conſilio a ſe repellere. TV igitur, amice, Hamburgum TVVM, quam vrbem alter iam amicorum meorum hoc anno petis, felici omine redi. Reditum non TIBI TVISque magis, quam tot mortalibus, quorum in miſeriis medica ars opem ferre valet, laetum fauſtumque fore auguror: quod vt ratum habere velit, DEVM O. M. ſupplex veneror. Vale, meque TVI amantiſſimum amare perge. Dab. Helmſt. d. IV. Iul. MDCCLVIII.

* * *

VIRO

PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

IOANNI CONRADO BERG

SVMMOS IN MEDICINA HONORES CAPESSENTI

S. P. D.

IOANNES IOACHIMVS BORGEEST

LI. CVLT. HAMBVRGENSIS.

Gaudio ſane inſigni atque dulciſſimo perfundor, quum TE, PRAESTANTISSIME BERGI! digna tandem virtutum TVARVM praemia ferre videre mihi laetiſſimo detur. Ex quo enim in hac alma Muſarum ſede, quo me benigniora duxerunt fata, integerrimum TVVM animum et indefeſſum optimarum litterarum, et in primis ſanandi artis amorem didici; TVA merita magni facere, meque feliciſſimum exiſtimare coepi, ſi TVO me favore proſequi, amicorumque electiſſimorum numero adſcribere haud dedignareris. Et ſatis feciſti ſane pio deſiderio, meque inter intimiores adoptaſti familiares. Donec ergo hoc ſpiritu fruar, illarum amoenitatum, maximorumque vitae commodorum, quae haec exoptatiſſima cum VIRO bono pariter et inſigniori eruditione exornato mihi peperit conſuetudo, non obliviſcar. Iam vero dulciſſimae, in qua ambo nati ſumus, patriae non poſſum non hilari mente gratulari, quod, quum TV iam doctorali exornatus es dignitate, TE mox tenerrime amplexura ſit filium ad provehendas illuſtres eius, qua mire floret, laudes genitum, et maximum aegrorum hominum ſolatium. Video enim, TE iam, ex quo intimius TE cognovi, omnes animi nervos in id intendere, ut quibusvis phoebeae ſcientiae adminiculis inſtructus miſeram ſubleves hominum naturam, tot morborum agminibus oppreſſam. Macte ergo ſis perpetuo iſta animi TVI magnitudine, HONORATISSIME AMICE, iisque fruere deliciis, quae illuſtres animas, re pro ſalute hominum feliciter geſta, adficere ſueverunt. Ex hoc meo pectore, quod ſinceritati, rararumque virtutum celebrandis elogiis cum maxime ſtudet, amabilis TVVS vultus, hae dulces Charites, quae lepore ſuo omnes TVOS perfudere ſermones, numquam, dum vita ſupererit, decedent. Vive feliciter, PRAESTANTISSIME AMICE, vive de die in diem maiori rerum proſperrimarum adfluentia beatus, meique ſis haud immemor. Vale. Scribebam Helmſtadii die VI. Iulii, CIϽ IϽ CCLVIII.

Dem Hochedelgebohrnen und Hochgelahrten Herrn

Herrn
Johann Conrad Berg

der Artzeney Gelahrtheit Doktoranden

widmete

zum Zeichen seiner Ergebenheit und Freundschaft

folgende Zeilen

Friederich Adolph Detleffsen

aus Holstein, der Heilungs Kunst Befl., Opp.

* * *

Sie, die die Nächte gezählt, die Dein gelehrtes Bemühn
Zum Troste der hoffenden Krancken durchwacht,
Sie selbst, die Mutter des Heils, Hygaea krönet Dein Haupt
Mit Zeichen der Treue, mit Palmen des Ruhms.

Sie sieht die Schätze des Heils in Dir ihrem Liebling bewahrt;
Sie sieht Dich beeifert von Elme zu ziehn.
Auf, rufft sie, schmecke Dein Glück, das in der Ferne schon blüht;
Auf diene der Mutter, befördre ihr Glück.

Geh dann mit Lorbeer geschmückt, wohin Dich die Sehnsucht bestimt
Sey, wo Dich der ächzende Sieche verlangt,
Ein Artzt, der Schmertzen verdrängt, dem Tode Verderben anhaucht;
Der schwerlich verwundten balsamische Kraft

Und sieht im ruhmvollem Sohn, in Dir Dein Hamburg sein Glück,
Die Seufzer der tödlich geplagten gestilt:
So wirf mit heiterer Stirn Dein Auge, das Tugenden kennt,
Auf die, die Dich liebten, auf Freunde zurück.